

X.1a
3454



CUM
IOVAE ARBITRIO ET MODERAMINE
SERENISSIMA & CELSISSIMA

PRINCEPS ac DOMINA,

DOMINA

**DOROTHEA
MARIA,**

Nata & Conjugata Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae, ac Montium, Landgravia Thuringiae, Marchio Misniae, & utriusque Lusatiae, Princeps in Comitatu Hennebergico, Comes in Marca & Ravensberg, Domina in Ravenstein, &c.

REVERENDISSIMI atque SERENISSIMI

PRINCIPIS ac DOMINI,

DOMINI

MAURITII,

Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium, Postulati Administratoris Episcopatus Numburgensis, Landgravii Thuringiae, Marchionis Misniae, nec non superioris & inferioris Lusatiae, Principis in Comitatu Hennebergico, Comitis in Marca & Ravensberg, Domini in Ravenstein, Balliviatu Teutonici per Thuringiam Locumtenentis,

Domini nostri clementissimi,

CONJUX OCULISSIMA, JAM VERO
DESIDERATISSIMA,

Heroina utraque in Fortunae Sorte Inviictissima
& patientissima,

Incomparabilis ac Sanctissima Patriae Mater,
Pientissima & Optima Princeps,

CI-

AV.



CIZAE,
XI. JUN. HUIUS M DC LXXV. ANNI,

Inter preces & lacrymas
totius Ecclesiæ Saxoniz Superioris,
in Christo Salvatore,
Lege mortis indeclinabili,
è terris evocata,
rebus valedixisset humanis;

Et

Quoad mortalitatis suæ fragmina,
quæ claudis tantum potuerunt,

Ducali in Mausoleo,

Magnæ Matri,

Lipsanorum Humanorum Sequestræ,

V. Aug.

traderetur,

Sanctissimo Illius Cadaveri

&

Beatis Ossibus

Terram,

Quæ Gravem numquam est experta,
ad Universalem usque carnis humanæ resurrectionem,
levem

precatus,

Hoc, quicquid est, lacrymarum & votorum

ad Reverendis. & Serenissimi

Principis ac Domini,

DOMINI VIDUI

pedes,

devotissime pietatis officium ostensurus,

deponere voluit

Universæ domus Saxonicæ

Æternus Admirator,

&

cliens

Solduriorum lege devinctissimus,

M. JOH. AUGUSTINUS EGENOLFUS,

SCHOL. SENAT. DRESD.

CONRECTOR.



† † †



Vi quondam Oenagoræ, Proceres, comitante
itupenda †
Illustres pompa thalamos, & debita terris
Connubia insolito lætantes undique plausu
Ornastis, Patrię Patri, mens enthea cujus
Jam gaudet cœlis, Genero felice, supernè
Prospera, quod pietas poscebat, quęque precati;
Siquis adhuc vestrum radiato luminis orbe,
Semper inexhausta qui lustrat lampade terras,
Lętus, & ex voto vitali vescitur aurà,
Undique florentem rapido concurrите passu,
Sic opus est, Cizam, quia DOREOTHEA MARIA,
Princeps jam dudum cunctas memorata per oras,
Occidit, eternum cujus, quā spargit Eoo
Sol ortu terras, & quā ruit Oceano nox,
Laudum, quas meruit, non emorientur honores.

Hanc mortis rapuit dira inclementia, quando
Christiadum ex animo probitas per templa Jehovę
Supplex se incusat, sacro de limine mœstas
Effundit voces, oculum dejecta rubentem,
Corditus & veniam à Domino pacemque precatur,
Trux Libitina fores pulsat, corclumque repente
Principis aggreditur, quod secula vivere dignum,
Communique bono, seros numerare nepotes;
Trajectum & tremula florentibus obruit annis
Sica, inter lacrymas, & funere mergit acerbo.

Heu

AK

Heu, heu, quam latè reboant plangore propinqui
Tyrigetum montes, & fœmineo ululatu
Hinc Neopyrgiaci resonant flebile saltus.
Heu! Populum in threnos trahit invida Parca, cupressum
Feralem siticem defigit, præfica tristi
Flebilis indignos meditatur pectine lessus.
Circumamicta caput funesta urbs tota calyptra
Luget, & in pullas, raptis de vertice vittis,
Diditur induvias Matrona, eduntque subinde
Sacra dolorificum templorum culmina planctum;
Mox schola suffuso lacrymarum salsa liquore
Ingeminat gemulos turbato pectore luctus.
Funereos Patres gemitus ætate verendi
Et gravitate simul fundunt, Comitumque caterva
Principis, inde genas laniant, & pectora palmis
Tundunt Heroës, cœlo data pignora, Nati
Grata Deo & Patriæ Soboles. Dux inclytus ipse
MAURITIUS, Fratrum nulli pietate secundus,
Magnos qui Reges animi virtutibus æquat,
Turbatus subito velut adstat fulmine, plangit
Exanimi, sine voce, manu, queriturq; ruinam
Anxius, & tanta Crucifer sub mole laborat.

Non sic, dum serus prodit sine lumine Vesper,
Majoresque cadunt altis de montibus umbre,
Induitur Mundus tenebras, quibus horret ubique
Informis, tristi mersus caligine noctis;
Quam radiis exute tuis, Celsissime Princeps,
Sumis lurorem, pullato & syrinate terram
Everris lenta consumtus corpora tabe.
Brachia protendis, prendique & prendere tentans
Nil nisi cedentes infelix arripis umbras,
Atque stupes merito, obtutu defixus in uno,
Quondam ceu gemina stupuit nece Conjugis Orpheus.

Hu-

Hujus tandem etiam ad planctus sibi conscius æther
Exsurgit partes, miros perpendito casus,
Quisquis es, auratos nam Sol ferrugine crines
Inficit, & mœstam longè sine lumine frontem
Ostendit terris, mox tanto concita luctu
Cynthia sub nigro vultus amicimine nubit,
Et lamentantur, Zephyris cessantibus Auster
Præterea erumpit, Phœbi jubar axe serenum
Polluit, & raptum ex oculis pice claudit Olympum.
Inde ruunt Cauri, miscetur murmure cœlum
Horrisono, insequitur commista grandine nimbus,
Nubibus assiduis crebrum pluit agmen aquarum,
Inque dies velut hybernos cava flumina crescunt.
Testis adest Rhenus, Tubaris, Sala, Unster & Albis,
Albula testis adest, fusi sine fonte repente
Torrentes lacrymis aucti auxiliaribus undique
Exspatiando fluunt, pratorumque æquora inundant,
Mirantur sub aquis fata læta, boumq; labores
Lympharum Dominæ, tristatur maxime Elister,
Quem Plisna à tiliis Fauno spectante maritum
Suspirat, tumido gravis illius alveus æstu
Perstrepit, insolitos vitreo sub gurgite questus
Singultit, trepido terret loca queque tumultu,
Diluvioque famem, mortes & mille minatur.

Eheu! nulla diu quam stat mortalibus usquam
Fortuna titubante fides, crebrique dolores
Versant instabili semper fucata sereno
Gaudia! quot vepres inter rosa nascitur! Heu quam
Multa dies, variusque labor mutabilis evi!

Sed quid, Magne Ducum, fama super æthera note,
Inclite MAURITI, cœlo quem Numinis aura
Propitii fervet, nimium tristare? Subinde
Quid gravia assiduo renovas suspiria planctu?

):(2

Quin

Quin potius sævis ceu fluctibus obvia rupes,
Cui neque de cœlo metus, & fracta æquora cedunt,
Stas cunctis inmote minis, cispelle querelas.
Sicut & irradiat post turbida nubila cœlum
Sol novus, & sudo lux defecata recenti,
Sic solvens animi curis mentem ora serena.
Non tua purgata Christum quæ pectoris æde
Est venerata suum, ritus exosa profanos,
DOKEOTHEA perit terris subtracta MARIA,
Læticia coram Domino, sanctoque Senatu
Exultat, qua Leucothoë, Arctophylaxque jacentes
Despiciunt terras, æterna & pace triumphat.

Excipit hanc quondam WILHELMINA ELEONORA,
Corde adamata Soror, FRIEDRICUS fructificantum
Carmine Pacificus Frater, natuque WILHELMUS
Major ADOLEHUS eam festæ ad convivia lucis
Invitant, læta gratantes voce Sorori
Hanc super astra viam. Virtute celebris & arte
Imprimisque Pater, magna cum Matre, WILHELMUS,
Quocum honor & laudes, lætoque opulencia vultu,
Hic ubi siderei que globi, angelicæque phalanges
Ævum tripudiant, celso de culmine valli
Fortunatam animam gaudet superesse malorum
Lernam, restitui præmissis ordine natis,
Atque metu vacuum cœlestia scandere regna.
O quam visendi studio ruit undique turba
Cœlituum, Patres, Pueri, innuptæque puellæ,
Plena cohors Matrum, Rex, Princeps, inde Propheta,
Sanctorumque chorus, scabro vix dicere versu
Quos mea Musa potest, densissima sacra ferentum
Exoritur plausus, soli tibi gloria surgit
Nominis haud ullo posthac debilis ævo
Vivorum Deus, & cunctæ Pater optime carnis.

Quem

Quem nos, dum iusta expendis mortalia lance,
 Actibi fidentes vero complectere amore,
 In gremio iucunda fovens ceu pignora Mater,
 Ambimus precibus, quem supplice voce rogamus:
 Aspice, sancte Deus, cœli moderator & orbis,
 Aspice nos, nulla quamvis pietate meremur,
 MAURITIUMque tuum cœlo, JANOSque GEORGOS
 Puris quos oculis ferimus, tristi eripe leto,
 Et, quem siderea promittis ab arce favorem,
 Principibus servato, simul majoribus auctos
 Erigito in sublime bonis, ac desere nunquam!
 Præterea qui gesiferas metuende cohortes,
 Omnipotens belli Præses, terraque marique
 Desicis, exturbasque solo, nos respice Olympo.
 Frange manu Galli telum prædonis, & hostes
 Sterne polo pronos, Gradivus & horrida Erynnis,
 Insidiæ, letum, facibusque armata Megæra
 Sint procul. Accipitres effuso sanguine pasti
 Cædeque dispereant Reges, sancta & LEOPOLDI
 Cæsaris auspicio, cui sceptrâ augusta precamur
 Fibritus, ad Ligèrim fuget inde columba cuculum. ††
 Floreat æternum fixo sub sidere Ruta,
 Dispergatque nemus, quicquid Romana veneni
 Cerbereo Babylon rictu spumavit apud nos,
 Tollat, & extingvat bufones atque colubros
 Mane nouo, recreet patriam sine fine beatam,
 Omnibus ac tandem telis, Martisque furore
 Composito sanctam, sanctè quam poscimus omnes,
 Saxonix stabili confirmet fœdere pacem.

Hypo-

Hypomnemata.

† Vide Acclamationem devotissimam, qua thalamos augustos subjectissimè profecutus est Reipubl. Literariae ad Salam Senatus III. Julii. M DC LVI.

†† Columbam candidam, ante memorabilem illam pugnam Lipsiensem VII. Idus Septembr. 1631. depugnatam, vexillum quoddam Saxonicum inopinato insidentem, victoriam praesagivisse, observat Cluver. lib. X. epit. Histor. Ut vicissim Carol. Sigon. lib. III de regno Ital. cum hastam Longobardi anno Christi 740. (non Luitprando, ut Editor Dissertat. C. A. Ruperti ad Val. Max. pag. mihi 62. refert, sed) Hildebrando, Luitprandi nepoti, demore porrigerent, cuculum in vertice hastae confidentem infestum illi regnum portendisse. Hoc enim ab eisdem anno 744. cum, Avo defuncto, solus septem regnasset menses, ejectus est.



CUM

IOVAE ARBI

SEREN

PRI

AMINE

DOR

M

E A

Nata & Conj

liae, Cliviae, ac Mo

chio Misniae, & utr

Hennebergic

Dor

niae, Ju-

ngiae, Mar-

Comitatu

erg,

REVEREND

PRI

MI

MA

Ducis Saxoni

tium, Postulati Adm

sis, Landgravii Thurin

ris & inferioris Lusat

Comitis in Marca

Balliviari

I,

ic Mon-

umburgen-

non superio-

nebergico,

enstein,

Dor

CONJUX

Heroina utraq

Incompara


Pient

ERO

atissima

er,

CI-



AV.

